



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Simia cum gemina prole.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

SIMIA CUM GEMINA PROLE.
PROMYTHION.

*Stultus hic amor est, qui rationem amandi
non habet.*

Geminam uno partu prolem Simia fuderat.
Par indoles utriusque, similis industria,
æqualis malignitas. Tamen, quis crede-
ret? dispari in utrumque natum affectu parens,
alterum deperibat amando, alterum vix agnosce-
bat suum. Ille parentis usque fusus in gremio, &
blanda libans oscula vitam vivebat dulcissimam.
Hic abstrusus cavo, & matris ab aspectu procul
ducebat ingratos dies. Illi, si quid garriret forte,
vel nugaretur, plaudebat mater protinus, & blan-
ditijs addens munuscula, defraudabat genium,
unde amores bearet suos. Huic, si vel mussare
matris in præsentia consideret, nihil præter pla-
gas contingebat & probra. Dum cara matri so-
boles ludit aliquando festiviùs, & triumphantis
inter parentis gaudia circumquaque saltat & exi-
lit, ecce luxata Simiolo tibia est. Dij bene, quòd
absuit frater longiùs, neque se afflictæ matri præ-
sens obtulit, non ille facti declinasset invidiam.
Tum dolore amens mater ire in lachrymas, & in-
gemitus: mox ferocem natum complexa, dum
stringit inter ulnas arctiùs, stulta enecat.

EPIMYTHION.

*Quantum Liberis nocent, qui blandiuntur
malè!*

LUPUS